



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Handleitung Zu leichterem Gebrauch Der Geist- und Sittlichen Unterrichten In Ewigen Wahrheiten

Calino, Cesare

Augspurg ; Graez, 1744

VD18 80280064

In Festo Sanctorum Omnium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49389](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49389)

IN FESTO
SANCTORUM OMNIUM.

I.

Merces vestra copiosa est in caelis.
Matth. 5.

Duo sunt, quæ nobis justissimum præsentis vitæ tædium afferre possunt, vallis hæc lachrymarum plena doloribus, & societas hominum nobis adversantium. Verùm hæc difficultates vel ideò æquiore animo ferendæ sunt, quia perferentibus pro amore Christi merces amplissima promittitur in cælis. Ibi erit habitatio sine tædio, societas sine molestia. *Mense VII. Disc. 189. pag. 114. ad num. 9.*

2.

Merces vestra copiosa est in caelis.
Matth. 5.

Nulla in hoc mundo quies invenitur: homo natus est ad laborem, sicut avis ad volandum. Qui seipsum non occupat, ab aliis affligitur ac ad molestias ferendas compellitur. Semper aut pugnandum, aut laborandum est, atque utinam cum lucro æterno! Erigamus ergo mentem ad cælum, ubi pulcherrima occupatio sine labore ac difficultate, felicitas sine fine &c. *Mense VII. Disc. 189. pag. 129. à num. 9. ad finem.*

3.

3.

*Merces vestra copiosa est in calis,
Matth. 5.*

Qui mercedem hanc desiderat, ad eam promerendam laboret, seque illis reddere similem contendat, quos in hodierno Evangelio Christus beatos pronunciavit. Hoc si refugiat, frustra mercedem sperat. Qui enim virtutes ad obtinendum cælum requisitas exercere recusat, falsò dicit, se cælum desiderare. *Mense VII. Disc. 190. pag. 138. ad num. 5.*

4.

*Merces vestra copiosa est in calis,
Matth. 5.*

Venatorem præda, merx mercatorem, militem gloria ad quosvis ferendos labores extimulat; dulcis enim fit labor, quia dulcis est propositæ mercedis memoria. Cur nos pro cælo tam pauca ferimus? quia rarò mentem ad illius considerationem efferimus. Qui sæpe immensæ illius gloriæ recordatur, certè animabitur ad amplectendas virtutes illas, quas Christus à nobis exigit. *Mense VII. Disc. 190. pag. 148. à num. 5. ad finem.*